



THEMATUM JURIDI
CORUM

203

1658, 11

DECADES
SEPTEM

32

Juxta π partes digestæ;

QUAS

AUXILIANTE DEO,
DECRETO

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS,
PRAESIDE

DN. HENRICO DA-
VIDE CHUNONE

JURIUM DOCTORE ET PROFESSORE
PRIMARIO, ACADEMIÆ PROCAN-
CELLARIO,

PRO

CONSEQUENDIS IN UTROQUE JURE
SUMMIS HONORIBVS

publicè

disceptandas exhibet

CONRADUS Wasmer / DITHMARSUS.

~~KALEND.~~ AUGUSTI.

HEIDELBERGÆ IN AUDITORIO JCTORVM
HORIS SOLITIS.

Apud M^cIDIUM WALTERUM Academia Typographum.
ANNO M. DC. LVIII.



203

THEMATUM JURIDICORUM
DECADENS
SEPTEM

JURIS PRAECIPUE FACULTATIS
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
PRASIDE

DR. HENRICO DA
VIDE CHUNONE

JURIS DOCTORE ET PROFESSORE
PRIMARIO ACADEMIAE PAVANAE
CELLARIO

PRO
CONSEGNANDIS IN HONORE JURIS
HONORARIIS

CONRADUS STUBB
DITHMARSIA
MAGISTRI
HEIDELBERGA IN AUDITORIO ICTORUM
HONORARIIS

APUD HELDUM WALTERUM
ANNO M. DC. LXXII





Uando affectam commentationem de Die & conditione, negotiis quæ addi amant, ex sententia perficere & publicè disceptandam exhibere, per impedimenta quæ supervenere, haud mihi licuit, malui pro amphora urceum dare, & propositis quibusdam thematibus, imposito ab Ampliſſ. Jurid. Facul. pro Summis in Jure Honoribus disputandi munere defungi, quàm vel illud, cum jam abeundum sit, omnino subterfugere, vel pro instituto nondum elaborata commentationis editionem precipitare. Benevolis itaq; hæc

-- -- -- sint qualiacunq;
 Arridere velim: doliturus si placeant spe
 Deterius nostrâ. Demetri, teq; Tigelli
 Discipulorum inter jubeo plorare cathe-
 dras.

A 2

DECAS



4
D E C A S I.

Pertinens ad primam & partem.

T H E M A P R I M U M.

ARS juris, quæ in libris Justinianeis simul cum legibus traditur, non in his tantum, sed quarumvis Rerumpubl. legibus interpretandis rectè adhiberi & usui esse potest.

2. Artem verò juris, vel scientiam, vel prudentiam dixeris habitum illum interpretandi leges & ad negotia humana accommodandi, quem habent J Cti, haud referre puto; qui nullam rectè dici statuunt, eos vel minus sapere aut calumniari credo : uti & illos, qui ab hac arte omnem certitudinem abesse dicunt: certis enim, perinde ut aliæ scientiæ innititur fundamentis: sola quoque legum noticiâ non absolvitur, quippe aliâs singulis civibus incumberet ut essent J Cti.

3. Ars ipsa vitium non habet, sed illi qui arte malè utuntur : quæ verò hinc convitia vel in artem, vel in peritos vulgò dicuntur, ad alias
etiam

5
etiam artes & scientias, earumque cultores re-
dundant.

4. Artem hanc qui probè callent, idonei
sunt, quibus Reipubl. administratio committa-
tur, inde verò eos repellere iniquè student ii, qui
novum disciplinae genus instituunt quod de RA-
TIONE STATUS & musteum ipsi dicunt: p
calumniam allegantes constitutionem Friderici,
quâ Jurisperitis omnibus judiciis & Principum
consistoriis interdicitur: cùm ea nunquam sit
recepta; neque si fortè unquam obtinuisset, in-
de magis labem vel ars, vel cultores attrahere
potuerint, quàm Philosophia & Philosophi
quod hi olim Româ & Italiâ Scto sunt ejecti.

5. Reductionem juris Justinianei in scho-
las & fora tam Germaniæ quam Italiæ, jussu &
authoritate Imperatoris Lotharii Saxonis esse fa-
ctam plerique credunt, sed errant. Maximiliani
verò Imperatoris & Statuum consensu, cùm po-
stea id publicè sit receptum, in quantum ei vel
constitutionibus aut consuetudine non est de-
rogatum, hodie obtinere, & ad decidendas con-
troversias quascunque, quæ vel inter Imperii
Principes agitantur, rectè adhiberi indubium est.

A 3

An

An diffidia aliorum Principum, qui superiorem non agnoscunt, eo quoque sint determinanda, satis est controversum. Affirmat id quidem *Alber. Gentil. lib. 1. cap. 3. de Jure Belli*. Sed plerique docent contrarium. Sanè, cum illud jus sic ad naturam sit aptatum, ut Imperio extincto, ipsum diu quasi sepultum, surrexerit tamen & noticia ejus in omnes ferè gentes humanas se effuderit, plerique etiam Principes ideo inter suos id obtinere velint; justa fortè ratio dari nequit, cur jure eo quod in suos statuunt, ipsimet uti nolint: imprimis si merè civilia, quæ continet, inde tollas. Ridicula equidem est hæc quorundam assertio: Regum latifundia privati juris decempedâ non esse dimetienda: quasi verò jus quod civitati est expositum, seu privatis latum, ideo desinat esse gentium: vel Principes, inter se si comparentur, privati dici nequeant; nec possit cum ipsis idem jus, quod cum singulis in Republ. intercedere. Verùm subest forsitan alia ratio, quam explicare non est nostrum.

6. Leges olim Atheniensibus à Dracone & Solone præscriptæ, perinde nos obligant ut illæ,
quæ

7
quæ per Mosen in populo Judaico sunt latae.

7. Judæos licet in Principum Christianorum territoriis & imperio tolerandos censeam : pro Civibus tamen Romanis, ut vult *Mynsing. 5. obs. 6.* vel pro servis, ut putant alii, eos esse habendos haud statuo. Cum verò in illis, quæ ad religionem quam profitentur pertinent, ad dispositionem Mosaicarum legum vivere ipsis sit permittendum : in reliquis tamen, & imprimis in matrimoniis, juxta leges Reipubl. in qua vivunt, se ut gerant sunt astringendi.

8. Jurisdictionem in jure Justiniano tam latè sumi, ut merum quoque Imperium comprehendat, verius est. Nulla verò ex ratione istius juris est prorogatio jurisdictionis de loco ad locum.

9. Sententiam judiciò cum falso defensore agitatò latam, ratam à Domino haberi posse, juri & æquitati convenit.

10. Quidam Dd. interque eos Wesenbecius, clausulam illam generalem, *si qua alia mihi justa causa videbitur*, contentam in edicto Prætoris de restitutione Majorum, interpretantur de justa causa absentia, verùm eam
de

de alio quovis justo impedimento etiam esse
intelligendam magis est ut probem,

DECAS II.

Thema I.

Cum inter Principes, qui sunt cum sum-
ma potestate, locus non sit iudicio, est
tamen disceptationi: Qui enim hanc neglectam
ad alterum genus decertandi per vim, seu ad
bellum confugiunt, licet justam causam ha-
beant, tamen iniusti sunt.

2. Docuit olim M. Cato ita esse mo-
ribus veterum Romanorum traditum et ob-
servatum, ut si quid inter duos actum est, ne-
que tabulis neque testibus planum fieri po-
tuit, tum apud iudicem, qui de ea re cogno-
sceret, uter ex iis vir melior esset quaereretur: &
si pares essent, seu boni pariter seu mali, tum
illi, unde petitum fuit, crederetur, ac secun-
dum eum iudicaretur. Hæc ut sequeretur du-
bitanti quondam A. Gellio, cum iudex datus
erat in causa, ubi probus destitutus probatio-
nibus, ab improbo negante creditum pete-
ret, suavit Phavorinus Philosophus. Sed cum
ille

ille existimarit id majus altiusque esse, quàm quod ætati & mediocritati suæ conveniret; ego quidem id majus & altius esse arbitror, quàm quod judicis potestati sit concedendum, ut cognoscat & condemnet de moribus, non de probationibus rei gestæ: hisce enim deficientibus etiam malus est absolvendus; si ad-sunt, etiam probus est condemnandus, licet vel judici constet, quod agitur, ita se non habere.

3. Legitimam nec de jure naturæ debere liberis, ideoque statuto prohiberi posse, nec titulô institutionis per jura Justiniana esse relinquendam statuimus. Quod si in solo usufructu filius est institutus, tamen ad integram legitimam consequendam eum agere posse, nec usumfructum imputare necesse habere, de eodem jure verum dicimus.

4. Hæreditas est jus diversum à Dominio, & ab aliis juris in re speciebus separata: harum verò quot dentur licet variè disputetur apud Dd. veriore tamen duco doctrinam eorum, qui hæc quinque in eum ordinem referunt: Dominium, hæreditatem, servitutem, pignus & possessionem.

B

7. Rem

5 Rem vindicante domino, posse B. F. possessorem viâ retentionis, exceptione doli oppositâ, sumtus in rem factos sibi servare; quâ tamen fructuum etiam ante litem contestatam perceptorum summam non excedunt, cum his teneri compensare, fortè indubium est. Oriuntur verò hinc duæ quæstiones satis controversæ, quarum prior est: Si igitur non oppositâ doli exceptione, vel sine mentione impensarum, B. F. possessor restituat possessionem, an ipsi tamen detur actio ad repetendum sumtus factos. Altera est, cum B. F. possessor compensare sumtus cum fructibus teneatur; an hoc de consumtis & usucaptis fructibus quoque sit intelligendum. Nos illam affirmandam, hanc verò negandam esse statuimus.

6. Cautionem fructuariam in quasi usufructu à testatore remitti posse *negat Geil. 2. obs. 46.* in vero usufructu idem id affirmat *2. obs. 145.* Quidam utrumque affirmant: nos utrumque negamus.

7. Ad servitutum præscriptionem neque titulo neque immemorali tempore opus est: scientiam verò domini aliquando, non semper necessariam ducimus.

8. Quoties

8. Quoties famulus delinquit circa officium & ministerium suum, in seipsum anbesophlenen *Umpf* / tum Dominum ex delicto illius civiliter teneri, ita ut in optione sit damnum passus, an contra Dominum, an verò contra famulum agere velit, regulariter esse verum statuunt Dd. communiter. Sed & juri & æquo haud usquequaq; convenit: verius enim est, Dominum nunquam ad præstandam familiæ, aut eorum quorum opera utitur, culpam teneri, nisi ubi lex id vel disertè exigit, vel Domini culpa concurrat.

9. Alter ex hæredibus ex æquis partibus institutis cum quibusdam creditoribus hæreditariis de integris debitis erat pactus, ut aliquo remisso reliquum ipsis à se statim solveretur; eo factò, cum postea familiæ erciscundæ actum, petiit ut cohæredi tantundem æris alieni dissolvendum pro solido attribueretur. Quæritur an iudex secundum eum debuit judicare. Nos id non tantum ducimus esse negandum: sed & residuum alieni æris pro parte hæreditaria ipsum dissolvere teneri, nec posse quod supra suam portionem exsolvit, instituto judi-

cio repetere, nec à commodo, quod ex pacto cum creditoribus inito sensit, cohæredem excludere.

10. Aleæ lusus, gignat licet sæpius
 - trepidum certamen & iram,
 - ira truces inimicitias & funebre bellum;
 attamen quid continere quod naturæ jus impugnet, haud puto, sed permitti posse statuo.

DE CAS III.

Thema I.

Mutuuum non est alienatio, sed impropriè ita dicitur.

2. Variè disputatur inter Dd. de sensu verborum, quæ sunt in §. 1. l. 2. ff. de reb. cred. & ita habent: *quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem quàm speciem*: quidam enim disertè addunt vocem magis vel potius, & legi volunt: *per solutionem magis quàm specie*: alii eam dicunt subintelligi: quibusdam neutrum probatur. Nos præferimus doctrinam Jac. Gothofredi reliquorum conjecturis, & secundùm eam statuimus esse legendum: *quia in genere suo functionem recipiunt, per solutionem*

lutionem æquam specie : ita facilis redditur intellectus , est enim hic : quia genus earum , vel quæ ex eodem genere sunt , creditarum vice funguntur per solutionem æqualem quantitate & qualitate creditæ speciei , seu quâ præstatur tantundem.

3. Qui aliis probationibus legitimis se usurum non per calumniam dicit , *der sein Gewissen durch anderwertig Beweißthumb will vertretten* / is ad suscipiendum juramentum , vel à parte vel à iudice delatum , cogi nequit.

4. Qui in fortem duntaxat , vel in usuras pignus dedit , eò solutò propter quod obligatum est , pignoratitiam rectè instituit & pignus repetit.

5. Cùm valde sit ineptum quod nonnulli ex juris interpretibus *ex l. Deprecatio. 9. ff. de L. Rhod.* conantur probare , Imperatorem mundi totius esse Dominum ; tum à mente legis omnino alienum est , quod alii illa contineri volunt ; mare scilicet nec subfuisse Imperatoris imperio , nec posse in dominio esse. Quò vero sensus hujus legis rectè possit percipi , pro *Ἡαλία* legendum esse *Ἰκαρία* statuo cum Grotio ;

cum Gothofredd. verò & Seldeno, interpunctionem, quæ est post voces *ὁ δὲ νόμος*, esse tollendam: reliqua non sunt sollicitanda, licet visum Cl. Salmasio & aliis.

6. Statuunt nonnulli *ἀντοφονίαν* Jure Civili esse licitam: sed erroneam eorum puto esse opinionem: Neque verò ullo jure concedi manus sibi violentas inferre verius duco; nisi hoc forte tendat ad Reipubl. commodum: ut si quis accensa nave perire velit, quam se cum illa hosti dedere. Ob fugienda vitia, vel cœlestium gaudiorum anticipandorum gratia haudidem licere, magis est ut statuam.

7. Mulier certiorata beneficio S^Cti Vell., etiam absque juramento, & extra judicium validè renunciat.

8. Mandatum licèt sit gratuitum, honorarium tamen seu salarium admittit. Hoc verò non mandati actione sed extra ordinem peti potest. Quamvis etiam Advocatus seu Procurator, cui id promissum, victor in mandata causa non existat, illud tamen jure exigit, probante id etiam Martiali, sed festivè hoc epigrammate: *Egi*

Egi Sexte tuam pactus duo millia causam,

Misisti nummos quot mihi? mille, quid est?

Narrasti nihil, inquis, & à te perdit a causa est:

Tanto plus debes, Sexte, quod erubui.

9. Legi Anastasianæ etiam in liquidis actionibus: L. 2. verò *Cod. de rescind. vend.* neque in transactionibus, neque in contractibus innominatis locus est: nisi fortè species antequam permutantur, sint æstimatæ.

10. Conductor, qui casus fortuitos in se suscepit, tenetur etiam ad insolitos quosvis.

DECAS IV.

Thema I.

CUm summa iniquitate est conjunctum quod statuit Jus Saxonicum: pignore casu amisso, creditorem creditum repetere haud posse.

2. Pignus quod ab emtore in re per remedium l. 2. *Cod. de rescind. vend.* postea avocatâ constitutum est, inde non resolvitur.

3. Emtor ratione rei emtæ judicio conventus, auctori etiam scienti, & qui juravit se ven-

se venturum ad defendendum, licet vel omni defensione etiam notoriè sit destitutus, litem denuntiare tenetur.

4. Omnis foeneratio & usura indistinctè improbari nequit, imò qui has simpliciter damnant, tollunt subsidium temporariæ inopiæ, quo communis hominum vita indiget.

5. Usuras supra fortis summam solutas forti deinceps imputari: solutas ultra alterum tantum condici posse, de jure verius est; licet in praxi pluribus ferè in locis obtineat contrarium: hanc tamen nihil iniqui continere statuo.

6. In instrumento Notarii subscriptiones & subsignationes testium non requiri, & praxi & dispositioni juris videtur convenire: quanquam aliter de ea re sentiat Bachovius *ad Wes. tit. de Fid. inst. n. 5.*

7. Maritus ne jurato potest renunciare potestati & imperio quod ei in uxorem competit.

8. Nuptiæ, ex quibus libri procreati sibi invicem fiunt patrui, de omni jure sunt licitæ.

9. Sen-

9. Sententiam eorum , qui statuunt patrem ad secunda vota transeuntem non amittere proprietatem eorum , quæ ex liberorum successione accepit , de jure puto veriore.

10. Tutor, si tuendæ vitæ pupilli ratio hoc exigit , pupillarem pecuniam foenori dare cogitur : si aliunde ali potest pupillus , satis est si eam custodiat : si tamen ultrò credere velit sub usuris , omne periculum , etiam quod ex casu est , ad eum pertinere , de jure quibusdam videtur verius. Sed cum usus ubique fere fit contrarius , hunc etiam cum mente legis convenire statuo.

DECAS V.

Thema I.

Testamenti factionem esse juris naturalis , & permitti rectius quàm prohiberi , verum ducimus. Cùm autem certa testandi forma præscribi possit , ab ea tamen scrupulositas & nimia subtilitas ut absit præstare puto : quò cum Lucio Titio sine ullo Jurisperito possimus scribere testamentum , rationem animi potius sequentes , quàm nimiam & miseram diligentiam

C

gentiam

gentiam : & si quid minus peritè fiat , pro jure tamen habeatur hominis sani voluntas. Atque eò quoque respexisse videntur Imperatores quando tam laxam fideicommissorum constituere naturam : quippe ea perfici volunt non tantum quinque testium præsentia, sed sola quoque voluntate præsentis , si de ea per confessionem hæredis tantum constet , cui ad legis subtilitatem recurrere non licet : ne quid addam de clausula codicillari, quam hodie omnia posse Dd. affirmant. Numquid autem hisce omnis legislatio de testamentis solemnibus non est subversa & reddita quasi otiosa ? Negamus.

2. Testamentum, quo posthumus exhæredatur, ipso jure nullum haud esse, juri magis convenit.

3. Testamentum inter conjuges reciprocè iisdemque tabulis factum, à superstite pro parte an revocari possit, an per eam revocationem in totum corruat, admodum est controversum : Et licet pro affirmativa stet Camerae Imperialis sententia, & communis ferè Germaniæ praxis ; negativam tamen juri & æquo magis
duco

duco consentaneam, pro qua Senatus Pedemontanus pronunciavit.

4. Positi in condicione (ita verò est scribendum, non conditione, quod vult *Donell. lib. 8. comment. cap. 30.*) non sunt positi in dispositione. Neque itaque his verbis, si filius meus me vivo morietur Titius hæres erit, filius censeatur institutus; nec liberi, hac à testatore expressa condicione, si sine liberis decedat, ex testamento censentur vocati.

5. Emancipatus qui parentum hæreditatem repudiavit, si fortè postea quasi hæres quid acceperit, creditoribus tamen hæreditariis ultrà id quod recepit haud obligatur. Qui si negavit hæredem, non repudiavit, sed si aliud vitium non obstat, potest hæreditatem quando vult adire.

6. Si creditori à debitore legatur, quod ipsi debetur, licet debitum per pactum fuit extinctum, tamen utile est legatum, & rectè petitur.

7. Adempto fideicommissio non censetur ademptum legatum: rectè enim petit legatum,

C 2

licet

licet cui id ante restitui jufferat, postea prohibuerit testator.

8. Jure veteri si generaliter legato adjectum erat, *si non nupsert*, rejiciebatur ea condicio à legato. Sed hoc per Novell. 22. cap. 43. est correctum: quippe in eo est constitutum, sive à defuncto conjugii, sive ab extraneo ita sit legatum, conditioni esse parendum. Id tamen tantum ad viduas non ad illas quæ nuptias nondum sunt expertæ, pertinere puto: hisce enim si quid legatur sub conditione *si non nupsert*, eam ut planè impossibilem pro nulla habendam esse statuo.

9. Constitutum erat à testatore perpetuum fideicommissum, quod primò cedere voluit Titio, ipsò verò sine liberis defunctò, fratri juniori: hoc etiam sine descendantibus vel cum his mortuo, filix ejusque posteris, ita ut ad quem fideicommissum pertineret si plures relinqueret liberos, semper ex iis primogenitus vel natus maximus, & qui ex hoc iterum natus foret primogenitus id haberet, *das es stäts bey dem ältesten Kinde solte verbleiben.*

bleiben. Quæritur, cùm filius qui prior vocabatur plures reliquit liberos, interque illos filiam natu maximam seu primogenitam, an non huic filius, licet natu minor, sit tamen præferendus? quod affirmamus.

10. Cum ferè usu sit receptum, ut filio gravato liceat secundùm juris Canonici constitutionem duas quartas deducere, errant tamen qui hoc juris Civilis dispositioni quoque convenire tradunt: nec juvat distinctio quorundam, purè, in diem, vel sub conditione sit iustus restituere. Nunquam enim filio de jure Civili competere detractionem duarum quartarum verius est.

DE CAS VI.

Thema I.

Quemlibet ex ascendentibus cum fratre germano defuncti non tantùm ad successionem admitti, sed consanguineo & uterino, ascendenti quamvis conjunctis, etiam præferri de jure verius est: licèt quoad posterius in praxi ferè obtineat contrarium.

C 3

2. Post

2. Post exactum decimum mensem à morte patris natum ad illius successionem non puto esse admittendum : nec reor conducere , ut decretum divi Hadriani , quò in undecimo quoque mense partum edi posse statuit , in Republ. recipiatur : neque moveor præjudiciis variorum tribunalium, quibus non tantum hoc tempus sed longè majus ad partum edendum legitimum fuit judicatum , nisi forte dicatur , tribuendum esse aliquid Magnatibus , utpote quorum majestati , ut de Neptuno apud Homerum refert Gellius , forsan convenit , ut longiori tempore foetus ex iis grandescat.

3. Cum consanguinei & uterini in fratris defuncti , vel ascendentes ejusdem gradus sed diversæ lineæ in nepotum successione concurrunt , bonorum distinctionem non esse observandam , ut paterna paternis, materna maternis cedant , sed æqualiter omnes in omnibus debere succedere verius est.

4. De moribus obtinere ut filia accepta dote parentum hæreditati validè renunciet,

ciet, dubium ferè non est : Sed an hanc renunciationem, etiam jurato factam, liberi præstare teneantur, si tempore quo avus moritur mater jam sit defuncta; an cum patris sint admittendi ad avi hæreditatem, dubio haud caret. Nos posterius esse affirmandum statuimus; nisi fortè disertè mater cavit nihil unquam suos liberos in parentum successione, cui renunciavit, habituros, & liberi matri hæredes exstiterè.

5. Idem etiam statuimus, si fraternæ simul successioni renunciavit: nam & tunc filiâ ante fratrem defunctâ, illius liberi cum hiis ad patris hæreditatem sunt admittendi. Illud tamen quod à patre accepit mater ut renunciaret, si hæredes illi fuere, imputare tenentur: unde affirmari potest collationi etiam inter collaterales aliquando esse locum.

6. Tradit Cujacius *obs. lib. 10. cap. 28.* Donationem inter vivos jure novo non esse acquisitionem sed conventionem: sed id probandum haud esse nullus dubito. Attamen posset fortè defendi hæc sententia, si
ita

ita verba Cujacii accipias : Post jura nova usum donationum ferè in nudis constare pactis , & rarò inde quid adquiri , cùm promissa rarissimè præstentur , & quæ exsolvitur fit

*Prodigiosa fides & Thuscis digna tabellis
Quæq; coronatâ lustrari debeat agnâ.*

7. Usucapionem cum jure naturali aut gentium pugnare haud ducimus esse verum.

8. Decisionum Friscarum *lib. 3. tit. 15. de fin. 2. in f.* Proponit earum collector, *Dn. à Sande* , hoc paradoxon : Tanto tempore ad usucapionem fructuum & accessionum ex re immobili perceptarum opus esse B. F. possessori , quanto ad ipsius rei usucapionem opus est. Verùm hoc non doctrinæ tantum aliorum sed nec juri convenire videtur.

9. Creditores hypothecarii non habent opus impetrare separationem bonorum defuncti; nam sunt ipso jure tuti.

10. Judicium possessorium cum petitorio sic cumulari haud posse, ut utroque simul & eodem tempore experiri liceat , verius est.

DECAS

DECAS VII.

Thema I.

PActum unius ex correis debendi aut credendi, qui socii non sunt, neque obest, neque prodest alteri.

2. Qui ad certum tempus fidejussit, eò elapsò, licèt cautionem sibi reddi non curavit, tamen liberatur. Si absque hac temporis adjectione, seu simpliciter fidejussit, licèt terminus solutionis debitori prorogetur, manet tamen obligatus.

3. Si conveniat inter creditorem & debitorem: *Daß die Gelder bey dem Schuldener bis zu seiner gelegenheit bestehen bleiben sollen / tunc ex tali clausula debitorem tutum esse, ut quamdiu vivit ad solutionem compelli non possit, tradit Mævius in discuss. leva. inop. debit. cap. 3. n. 203. ubi responso Jctorum Lipsiensium id quoque confirmatum refert. Diversum verò statuit ibidem n. 206. si hæc clausula sit adjecta: Bis so lang er / debitor, zur Zahlung kommen / oder zahlungs Mittel erhalten: tum enim*
 D quam-

quamprimum facultas solvendi supervenit, debitorem ad solutionem cogi posse putat. Nos verò statuimus, non ob illam magis, quàm ob hanc scripturam debitorem ad mortem usque liberari à solutione; sed quodocunque facultatem solvendi nactus est, ad eam esse cogendum. Id tamen differre putamus, ut, si prior formula sit adjecta, facultatem solvendi tum demum nactum esse debitorem sit dicendum, cum deducto ære alieno poterit solvere: si posterior; cogi posse etiam non deducto ære alieno, modo aliquid idoneum solutioni sit consecutus: nisi fortè debitor sit ex iis personis, quibus competit privilegium ne ultra id quod facere possunt condemnentur; tunc enim idem hanc posteriorem, quod priorem clausulam operari statuimus; uti & hoc, quod non tantum ipsis debitoribus sed etiam ipsorum hæredibus & fidejussoribus profint.

4. Consuetudinem Germaniæ aliarumque regionum, secundum quam fures suspendio necantur, rationi & justo haud

haud esse contrariam prorsus statuo: Cadavera quoque eorum in furca posse relinqui suspensa, juri haud adversari puto.

5. Actio ad palinodiam & injuriarum, siue civiliter siue criminaliter instituat, rectè cumulantur.

6. Provocans ad duellum ineundum peccat regulariter excusatus provocato sistente, ideoque mitiori poena est plerendendus.

7. Nulla poena est determinata à natura.

8. Abolitionem criminis capitalis vel dolo commissi, quandoque rectè & salva conscientia à Principe posse concedi statuo.

9. Cùm quidem appellationes debeant fieri gradatim, posse tamen Principem subditos status seu provincialis sui, cui merum & mixtum imperium concessit, immediatè ad suum tribunal citare verum duco.

10. Col-

10. Collatio, quæ propter imminen-
tem deprædationem à Magistratu indicta,
ad eos qui municipes & incolæ non sunt,
in eo tamen districtu latifundia
possident, haud per-
tinet.

F I N I S.



1077

ULB Halle 3
003 252 035



Sb.







M JURIDI 203
UM 1658, 11
DES 32
EM

digesta;
TE DEO,
TO
RUM ORDINIS,
ICO DA-
UNONE
ET PROFESSORE
MIÆ PROCAN-
O,
TROQUE JURE
ORIBVS
xhibet
/ DITHMARSUS.
UGUSTI.
ORIO JCTORVM
ITIS.

Academia Typographum.
LVIII.